



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis, Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Decas IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

ptum! & quâ non solet ſolicitudine affer-
vari! Non minorem curam, aut æstima-
tionem nobis imponat pretioſiſſima cha-
ritas, cui inſerta eſt executio prædeſtina-
tionis noſtræ.

DECAS IV.

31. Eſſe infame habet culpa, omnem
ſuperans malitiæ nomenclaturam, Pœna
potest eſſe horribilis, at non mala. Pecca-
tum malitiâ excedit barathrum inferorū.
Non eſt exaggeratio, quod Anſelmus di-
cebat, ſed obligatio Chriſtiana. *Si una, in-*
quit, parte ſeſe objiceret peccati ſeditas, altera
terrereſt inferni horribilitas, cogererque alteru-
trum ſuſtinere, prius me ad inferna devolverem,
quàm peccati labem admitterem. Maluiſſet
nempe abſque peccati noxa ſubire infer-
num, quàm contractâ maculâ cœlo recipi.

32. Amor ſpolium eſt Divinitatis: me-
retur totum, quidquid eſt Dei. Odium
pro Lancea habet, quo peccatum confi-
git. Hoc tam horribile monſtrum nemo
propè acceſſerit: feriendum eſt à longè,
id eſt, quâ nocere conſuevit, occasio tol-
lenda. Proderit hîc Parthorum ingenio
uti, id eſt fugiendo ferire.

33. Ban-

33. Bannitus latrocinatur in viis, dæmon in occasionibus: utrique isthic felicius præda obvenit. Peccandi occasio æquè fugienda est, ac specus draconum: tutius hic delitueris à morsu bestię, quàm ibi à vulnere peccati. Quid dicam? occasio spelunca est Sathanæ, os inferni, insidiæ habitantis peccati.

34. Nemo læditur, nisi à seipso. Nihil enim nobis nocere poterit, ac culpa peccati, ad quam nemo invitus cogitur. Idcirco qui sponte se vulnere objicit, suæ causa est læsionis. Cæcutit mundus ad hanc lucem veritatis. Verùm quid fulgoris decedit Soli, quòd cæcus eum non videat?

35. Falsa est impiorum jactantia: *peccavi, & nihil mihi accidit triste*. Sanius est, quod confulo: non pecces, & nihil non obveniet boni. Quem peccatum non afficit, inter calamitates felix est. Idem reputa inculpatum esse, ac fortunatum.

36. Quorsum mentis ingenuitas, aut generosa, quâ imbuimur agendi methodus, nisi & cum Deo utamur? Tametsi ille æternùm ignoraret culpas nostras,
non

non tamen committenda foret vel unica.
 Tam ſerviendum Deo eſt propter ſeipſum,
 quàm fugiendum peccatum propter id
 ipſum.

37. Deus propter ſe ſolum amandus eſt.
 Idem penè peccatum habet. Licèt non
 foret Dei offenſa, ſeipſo tamen abomi-
 nandum eſſet. Adverte Chriſtiane! quid
 Ethnicus dixerit: quantùmvis conſtaret
 mihi, ignoraturos homines, Deùmque
 condonaturum, non delinquerem ta-
 men, ſolum ob peccati turpitudinem.

38. Commendatiſſima devotio eſt, co-
 lere Virginem in precatoriis corollis.
 Hanc longè exceſſeris abſtinendo à pec-
 cato, quo ſcilicet denuo crucifigis Filium
 illius. Anne poſſibile cenſeas, Matrem ab
 illo diligi, qui in ejuſdem conſpectu nulla
 ex cauſa filium perimit amantiſſimum.

39. Sublimiora dogmata Chriſtianus
 habet, quàm Philoſophia dictarit. Diſce
 dere vel unguem à menſura temperan-
 tiæ, Ariſtoteles vitium iudicavit. Nobis
 Pœnitentia virtus eſt, quâ docemur pro-
 ſectum animæ ſanctè redimi corporis ja-
 cturâ.

40. Vir

40. Virtus, non negârim, medium teneat oportet; at perfectio Evangelica plus ultrâ se extendit, & attingit etiam extrema. Lex rationis est mentibus insita: alteri non feceris, quod tibi fieri non vis. Evangelium supereminet Rationi: vult à te proximo fieri, quod non cuperes fieri tibi. Nunquid non verus Christi discipulus honorari vult proximum suum: ipse despici, vilipendi? bene & molliter haberi alios, se tractari rigidè, ac severè?

DECAS V.

41. Si nasci hominem absque manibus, monstrum est naturæ, nunquid erit monstrum magis, manibus integris nunquâ uti? imò, nè vel semel attollas, mortem potiùs oppetere? Manus fortissima est fides, quæ facili nisu levat pondus totius æternitatis. Manus longissima est spes, extenta pertingit ad cælum usque. Hac gemina virtute veluti totidem manibus instructi sumus. Fide libremus pondus gloriæ cum mundi vanitate. Spe firma adhareamus cælo, ut Charitas accipiat coronam suam.

42. Plus debet Christianus pro minima
inspi-